

luti insecuturi se Ascanii, in silvam profugit ad magistrum patrii pecoris Tyrrhum ibique enisa est puerum, qui a loci qualitate Silvius est dictus. At vero 2 □  
 vulgus Latinorum existimans clam ab Ascanio inter-  
 5 fectam magnam ei invidiam conflaverat, usque eo, ut  
 armis quoque ei vim denuntiaret. Tum Ascanius iure- 3  
 iurando se purgans, cum nihil apud eos proficeret,  
 petita dilatione <ad> inquirendum, iram praesentem □  
 vulgi aliquantulum fregit pollicitusque est se ingenti-  
 10 bus praemiis cumulaturum eum, qui sibi Laviniam in-  
 vestigasset; mox recuperatam cum filio in urbem La-  
 vinium reduxit dilexitque honore materno. Quae res 4  
 rursum ei magnum favorem populi conciliavit, ut scri-  
 bunt Gaius Caesar et Sextus Gellius in origine gentis  
 15 Romanae. At vero alii tradunt, cum Ascanius ab uni- 5 □  
 verso populo ad restituendam Laviniam cogere-  
 tur iurare se neque interemisse neque scire, ubi esset,  
 Tyrrhum petito silentio in illa contionis frequentia  
 professum indicium, si sibi Laviniaeque pueroque ex  
 20 ea nato fides incolumitatis daretur; tumque eum ac-  
 cepta fide Laviniam in urbem cum filio reduxisse.

Post haec Ascanius completis in Lavinio triginta 17  
 annis recordatus novae urbis condendae tempus adve-  
 nisse ex numero porculorum, quos pepererat sus alba,  
 25 circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus  
 montem editum, qui nunc ab ea urbe, quae in eo con- □  
 dita est, Albanus nuncupatur, civitatem communit  
 eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est,  
 Longam, ex colore suis Albam cognominavit. Cumque 2  
 30 illuc simulacra deorum penatium transtulisset, postri-  
 die apud Lavinium apparuerunt, rursusque relata  
 Albam appositisque custodibus nescio quantis se La-